445

J

152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

22

THESES THEOLOGICÆ
DE
KW 445 J 152

PROVIDENTIA DEI

QVAS

A. D. O. M.

SVB PRÆSIDIO

Clariſſimi & Doctiſſimi Viri

D. IOHANNIS POLYANDRI, SS. Theologiæ Doctoris eiuſdemque facultatis in celeberrimâ Lugdunenſi Batavorum Academiâ Profeſſoris ordinarij.

Publicè examinandas proponit

FRANCISCVS BERNARDI Friſ.

Ad diem 17. Iulij. horâ locoque ſolitis.



LVGDVNI BATAVORVM,

Typis ISAACI ELZEVIRI, 1619.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Reverendis, inſigni pietate, & eruditione ſpectabili viris,

D. IOHANNI POLYANDRO, SS. Doctori & Profeſſ. Præſidi ſuo honorando.

D. FESTO HOMMIO apud Leydenſes,
D. GOSVINO GELDORPIO } apud Amſtel.
D. IACOBO TRIGLANDIO }
D. BERNARDO BERNARDI Patri ſuo, nunquam non colendo, apud Flielandos.
} *Eccleſiaſtis fideliſſimis.*

NEC NON

Pijſſimis & integerrimis viris,

D. HERMANNO HENDRICI
D. IACOBO IOHANNIS HART
} *In civitate Amſtelodamenſi, mercatoribus ſolertiſſimis perpetuò à me obſervandis.*

Haſce ſtudij ſui Theologici primitias ingrati animi Symbolum offert

& inſcribit

FRANCISCVS BERNARDI Friſ.

Reſpondens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

THESES THEOLOGICÆ

DE

Providentia Dei.

Poſito hoc primo principio, Deum eſſe, ſecundum, nempe, Providentiam eſſe, ex eo neceſſariò exſtruitur: atque ut hoc axioma ex illo à priore, ſic illud ex iſto à poſteriore demonſtratur.

THES. I.

VOx Providentiæ latius ſumpta hæc tria denotat, 1. Rerum omnium præſcientiam. 2. Voluntatem ſive Decretum de rebus omnibus ad finem ſuum dirigendis. 3. hujus voluntatis executionem: de quâ nunc diſſerere decrevimus.

II.

Hoc ſenſu poſtremo, Providentia rectè definitur, actio Dei, qua res omnes ac ſingulas à ſe creatas gubernat & conſervat, atque ad bonum finem, ſuamque potiſſimum gloriam, ſecundum voluntatem ſuam liberrimam, immutabilem & efficacem diſponit, nimirum, ut divinam ſapientiam, potentiam bonitatem ac juſtitiam, generi humano ac ſuæ imprimis Eccleſiæ in hoc mundo patefaciat.

III.

Cauſa ergo huius actionis Dei, eſt voluntas ipſius, quâ ab æterno decrevit, quid & ipſe agere in ſuis creaturis, & quid de ijs fieri velit, ut docet ſacra Scriptura Act. 2. 23. Act. 4. 27. Eph. 1. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

I V.

Materia Providentiæ, circa quam, vel objectum eius ſunt omnia illa ad quæ Dei ſcientia ſe extendit, quæque pro voluntatis ſuæ beneplacito dirigere conſtituit, nimirnm, univerſalia & ſingularia, neceſſaria & contingentia, naturalia & voluntaria, bona & mala, maxima & minima, quorum quo quid Deo eſt propius, eo potiorem in ordine Providentiæ locum habent.

V.

Quocirca primarium locum in illo Providentiæ ordine obtinent, tum Angeli, qui in imagine Dei ad quam ſunt conditi, permanſerunt, tum electi & fideles ad imaginem Dei renovati. Hinc Deus dicitur conſervator omnium hominum, maximè vero fidelium, 1. Tim. 4. 10.

V I.

Vtrique enim ſingulari Providentiæ curâ, ad fines præſtantiſſimos, ſibique probè cognitos à Deo diriguntur.

V I I.

Forma Providentiæ conſiſtit in actu illo perpetuo & ſapientiſſimo, quo Deus omnia ad bonum finem ſuæ majeſtati maxime reſpondentem determinat.

V I I I.

Finis, ut omnes creaturæ, ſuam perfectionem ac finem, à Deo præſtitutum aſſequentes, gloriam ſapientiæ, potentiæ, bonitatis & juſtitiæ ipſius illuſtrent.

I X.

Hæc Providentia objecti ſui reſpectu, dividitur in generalem & particularem.

X.

Generalis eſt, quâ mundum univerſnm moderatur atque ordinem naturæ in eo poſitum conſervat, de quâ agitur, Eſa. 42.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Eſa. 42. 5. & 45. 6. 7. Pſ. 104. Act. 17. 28. Rom. 11. 36.

XI.

Particularis eſt, quâ peculiarem uniuſcuiuſque creaturæ curam gerit, cum ſingulis ejus motibus, conſilijs, affectibus, dictis, factis concurrit, horumque eventus pro voluntatis ſuæ beneplacito dirigit, & ad fines gloriæ ſuæ ſubordinatos perducit, quæ depingitur, 1. Sam. 2. 6. 7. 8. Pſ. 104. 21. & 147. 9. Prov. 16. 1. & 21. 1. lament. Ierem. 3. 37. 38. Dan. 2: 21. Math. 7. 26. 30. & 10. 29. Act. 14. 17.

XII.

Ratio & modus Providentiæ divinæ, ut eſt varius, ſic primùm in ordinarium & extraordinarium diſtribuitur.

XIII.

Ordinarius eſt, quo communis vel naturæ, vel gratiæ ordo ſervatur, illius exemplum reperitur, Rom. 10. 17. hujus Hoſ. 2. 21. 22.

XIV.

Extraordinarius eſt, quo aliquid præter communem naturæ curſum producitur, ut, cum Deus pavit Iſraelitas mannâ in deſerto, Deut. 8. 3. Eliam cibo ipſi à corvis allato, 1. Reg. 17. 6. Et cum in gratiam Ioſuæ ſolem juſſit ſubſiſtere, Ioſ. 10. 13. Et in gratiam Ezechiæ, umbram ſolis per decem gradus retrogredi, 2. Reg. 20. 11.

XV.

Deinde modus Providentiæ dividitur, in immediatum & mediatum.

XVI.

Immediatus exercendæ Providentiæ modus eſt, cum Deus Omnipotens, tamquam prima omnium rerum cauſa, ac principium, in ſuâ actione nullâ cauſâ utitur ſecundâ ſeu ſubordinatâ, qualis eſt inclinatio cordis regij, de quâ agit Salomon

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Prov. 21. 1. & qualis olim fuit ignis ardentis cohibitio, qua tres Danielis ſocios ab illius uſtione fuerunt conſervati, de qua Danielis, 3.

XVII.

Mediatus eſt, cùm Deus per agentia ſecundaria, tum in naturâ Vniverſi, tùm in ſingulis ejus partibus operatur.

XVIII.

Modo Providentiæ immediato gloria potiſſimùm omnipotentiæ, mediato bonitatis, utroque gloria ſapientiæ divinæ illuſtratur.

XIX.

Medijs enim & inſtrumentis Deus interdum utitur, non quòd ipſe, qui omnia quæ vult, per ſe poteſt efficere, eorum operâ indigeat: ſed ut ſuam potentiam creaturis ſuis aliquâ ex parte communicando, bonitatem ſuam erga eas & per eas patefaciat.

XX.

Quemadmodum media illa diverſorum ſunt generum, ita in neceſſaria & contingentia diſtinguuntur.

XXI.

Neceſſaria ſunt, quæ ſecundum naturam ſuam certum effectum neceſſariò producunt, ideoque ſe aliter habere non poſſunt.

XXII.

Contingentia ſunt, quæ ſecundum ſuam naturam, antequam fiant, aliter ſe poſſunt habere.

XXIII.

Neceſſaria rurſum dividuntur in neceſſaria per ſe & abſolutè, & in neceſſaria ſecundum quid, atque ex conditione antecedentis. Illa conſequentis, hæc conſequentiæ, illa abſo-

lutâ,

lutâ, hæc hypotheticâ neceſſitate neceſſaria eſſe dicuntur.

XXIV.

Quamvis ratione decreti & præſcientiæ Dei, omnia ſint neceſſaria, & certiſſimè ab ipſo definita, Media tamen nonnulla contingentia eſſe aſſerimus, ratione cauſarum contingentium, à quibus promanant, idque ex noſtro concipiendi ac loquendi modo, quo fit ut res magis in ſe, quàm in mente ac voluntate divina conſideremus, eaſque à cauſa potius proxima, quàm à remota nuncupemus.

XXV.

Accedit eò quod Dei Prouidentia rerum naturam non immutat, ſed res quaſlibet juxta earum naturam gubernat. Cauſas enim neceſſarias ſic regit, ut agant neceſſariò, contingentes verò & voluntarias, ut agant contingenter & voluntarie.

XXVI.

Exempla contingentiæ & neceſſitatis, in unâ eademque re diverſo reſpectu conſideratâ, optimè concurrentium paſſim in ſacris literis inveniuntur, nimirum, in vetere Teſtamento exemplum Ioſephi & Achabi, quorum ille per deductionem in Ægyptum, non minùs contingenter quam neceſſario, ad regiam dignitatem fuit evectus, Gen. 37. Hîc in prœlio cæſus, 1. Reg. 20. Et in Novo Teſtamento, Chriſti, ut alios nunc prætereamus, exemplum, cujus oſſa contingenter & neceſſariò non ſunt fracta, Ioh. 19. 33. 36.

XXVII.

Media Providentiæ divinæ etiam in bona & mala dividuntur. Illa ſunt partim naturalia, ut, ſubſtantiæ, earum motus & actiones; partim voluntaria & moralia, ut hominum virtutes.

XXVIII.

Mala ſunt aut culpæ, aut pœnæ. Hæc peccatoribus à Deo, tanquam à juſtiſſimo judice & peccatorum vindice infliguntur ac proinde activè conſiderata quoad Deum, boni, paſſivè ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

vè verò quoad reprobos, mali rationem habent. Illa à ſolis peccatoribus, non à Deo proficiſcuntur, quoniam nullam boni rationem habentia, Dei ſummi boni naturæ adeo repugnant, ut nec ea efficere poſſit, nec eis delectari: ſed in ijs tantum offendi, & ab ijs ad ea punienda excitari.

XXIX.

Interim Deus ſummè bonus hæc mala non ſemper impedit: ſed interdum ab aliis ob majus bonum fieri permittit. Etſi enim illorum non eſt effector, illorum tamen eſt ordinator. Hinc mala, quæ propriè & omnino à Diabolo ac reprobis promanant, Deo quoque impropriè atque ex parte in S. Biblijs attribuuntur, Gen. 45. 8. 2. Sam. 12. 11. 12. 1. Reg. 12. 15. Act. 3. 17. 18.

XXX.

Non ideo tamen Deus pro auctore ullius peccati eſt habendus; quoniam omnis actio, quatenus eſt bona & ordinata, eſt à Deo, quatenus autem vitioſa eſt & inordinata, eſt à peccatore: & ſicuti bono malè uti, malum eſt, ſic malo benè uti, bonum eſt, ut rectè docet Auguſtinus, lib. 1. de Remiſſ. peccat. cap. 29.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 J 152